

Peccato Originali.

I.

Impropria, nec unquam imitanda, imò in DEum iniqua quorundam locutio est: DEum peccata peccatis punire.

II. Quamquam verò existere originale peccatum solis radiis in Scripturâ perscriptum sit, cum Ferrando tamen & Jo. Belino, scriptoribus Gallicanis, dicendum non est, gentilibus quoque illud innotuisse, aut ex ratione deduci posse. Rom. VII, 7.

III. Exacta peccati, propriè dicti, descriptio, I. Joh. III, 4. originale quoque peccatum manifestè involvit.

IV. Tres ab Apostolo, Jac. I. 14. 15. insinuati peccati originalis motus, tentatio, conceptio, consummatio, quorum ille suggestio est sine consensu, iste delectatio cum imperfecto consensu, hic commissio cum plenâ consensione, actualibus peccatis meritò omnes accensentur.

V. Quamquam peccatum omne ad legem, tanquam ad principium manifestativum, exigatur, tamen plurima in se mala esse, antequam DEus eadem prohibere intelligatur, ipsi nempe sanctitati DEI, ut principio boni maliq; radicali, adversa, contra Szydlovium aliosq; merito defenditur.

VI. Primum peccatum Adami posteris justissimè imputatur, etsi nec rationem ejus rei reddere, nec mente concipere possemus. Rom. V. 12.

VII. Qui primum Adami peccatum extenuant, DEum ipsum injustitiæ & sævitæ accusant.

VIII. Peccatum originale non tantum quoad formam totius, sed & quoad formam partis, positivum involvit.

IX. Cum concupiscentia in se indifferens sit, per determinationem ad tale esse, quæ positivum quid est, peccaminosa redditur.

X. Peccatum Philosophicum, Jesuitarum Divionensium inventum, quod ab eo, qui de DEO non cogitat, commissum,

missum,